Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



29.

quam omnium zelotissimum, cum literis, quibus
Cisterium migrandi facultatem, et ulteriorem
protectionem petit. Dux autem ad omnia
promtus, sequenti cum epistola nuntium omi-
misit epistolam, quam recitat Brillo Annal.
Cist. t. I, c. I.

Odo Burgundiae Dux etc. Venerabili Pa-
tri Roberto Abbati Molismensi, et reliquis, qui
cum eo unum sunt in Domino, pax aeterna
in aeterno Deo. Allatae sunt nobis literae since-
ritatis vestrae per manus modestissimi viri
Stephani fratris vestri, quibus visis, et intentionem
approbamus et apus. Facite, quod Spiritus
suvet, ego non decero vobis, sed ab episcopis
provincialibus, et si oportuerit, a Romana Sede,
quidquid volueritis impetrabo. Locum soli-
tudinis libere eligite, et pro me assidue Deum
orate. Vestram sinceritatem Dominus con-
servet, et puram intentionem augeat.

2) Exordium magnum Dist. 1, c. 13. Exordium
parvum tempore et jussu S. P. Stephani conscriptum
c. 3. Manriques Annal. ad an. 1098 c. 2, tabellam
hodieque appensam Cisterciii testatur, cui inscriptum:
Anno ab Incarnatione Domini millesimo nona-
gesimo octavo initium sumsit hoc coenobium,
quod dicitur Cisterium, et erat ipsa die luna
Paschalis, 12 Kalendas Aprilis, indictio 5,
Epacta 15. concurrens 4. Idem testantur
versus in fronte ecclesiae Cisterciensis descripti.

Anno milleno, centeno, bis minus uno,
Pontificie Urbano, Gallorum Rege Philippo,
Burgundis Odone duce et fundamina dante,
Sub Patre Roberto coepit Cisterciens Ordo,
Coenobia in toto producens plurima mundo,
Sic manserat diu per sanctum nomen Jesu.
Fundum Coenobio ferendo liberalitet donavit Rai-
nardus Comes Belne et uxor ejus Hodierna.